



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

V. An ad Dei scientiam quoad intrinsecam rationem eius, aliquod obiectum
aliquo modo præcedat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

QVÆSTIO V.

An ad Dei scientiam quoad intrinsecam eius rationem aliquod obiectum aliquo modo præcedat?

NONIAM ex obiecto, & potentia tanquam necessariis creatæ cognitionis principiis, ipsam provenire certissimum est: statuto iam, eam Dei scientiam, potentiam intellectuum, non solum metaphysice, sed realiter intentionaliter actus supponere: videndum restat, an aliquod essentia sua obiectum supponat: & quidem tam certum est Dei scientiam circa plura, imo circa omnia creatæ, & increata sua formali representatione versari, quam certum est Deum omniscium esse: id quod & fides, & ratio d. 3. monstrabunt. Adhuc autem inter nos nonnulli fecerunt: An Deus scientiaque ipsa huius obiectum propriæ, & stricte sit: quod examinandum in primis est, ut de præcedentia tam materiali, quam formali, & specificationis scientiæ divinæ tam à Deo, & sequē ipsa, quam à creaturis tanquam obiectis postmodum disputetur.

CERTAMEN I.

Deus, eiusque intrinseca omnia, ac proinde scientia ipsa, divina scientiæ obiectum propriissime sunt.

Herize noster d. 4. de scient. c. 1. primus (quem sciam) essentia, & cognitioni divinæ veram obiecti, & termini eundem cognitionis rationem negavit: quia ad veram rationem obiecti, & termini cognitionis cuiusvis illorum à sua cognitione realem distinctionem necessariam putabat: cuius fundamenti rationes nobis infra obijciemus, ut diluamus. Addit autem ea, quæ reali virtuali distinctione in divinis distinguuntur (ut divinæ proprietates, volitionesque libere) atque prædicata transcendendia, quæ respectu aliorum divinorum prioritatem maioris universalitatis habent, veram, & propriam rationem obiecti, & termini divinæ cognitionis absolute sortiti. Generalis doctrina de necessitate realis distinctionis obiecti, & termini proprii cuiusvis à sua cognitione euerrenda nobis postmodum erit, ut nostram conclusionem statuamus. Nunc autem ea, quæ hic Doctor addit, cum eo principio minime coherere paucis ostendam. Et primo quidem cum prioritas maioris universalitatis prædicatum transcendendum puræ rationis sit, ad veram rationem termini, & obiecti divinæ cognitionis, quæ realem obiecti, & termini à sua cognitione distinctionem per se requirit, sufficiens non erit.

Secundo: si cuiusmodi realis distinctio termini, & obiecti à sua cognitione requiritur, pro magnitudine, vel parvitate, seu pro qualitate distinctionis eorum à sua cognitione ratio obiecti, & termini in eis inveniatur: ergo in distinctis, realiter, virtualiter tantum à sua cognitione, solummodo erit ratio termini & obiecti virtualis, ut in simili contra Salmantinos Dominicanos recentiores confluentes potentiam physicam actuum simpliciter, & absolute talem e sola distinctione virtuali eius à sua intentionem arguebamus. Tercio: si sufficit ad veram rationem termini, & obiecti huius à sua cognitione realis solum virtualis distinctio: cum hæc inter essentiam, & scientiam contingentem seu contingentium, æque, atque inter essentiam, & volitionem liberam in divinis ab Herize & reliquis distinguuntur, realiter, virtualiter inter se adduntur, ea etiam rationem veram obiecti &

termini suæ cognitionis contra Herize habebit. Quarto: quia in nullo signo scientia propria sine obiecto proprio esse potest: atqui pro priori, quo scientia, volitionem (ut eius dux, faxque teste Herize) præcedit, non præcedit volitio illa, neque contingens, neque necessaria; neque personalia: imo hæc omnia vel tanquam attributa, vel tanquam modi, & termini scientiam (in qua Herize essentiam Dei constituit) consequuntur: ergo pro illo priori aliud ab his, obiectum proprium assignari in huius authoris principiis debet.

Hæc de huius Doctoris inconsequentis. Jam generalis illius doctrinæ euerfione probanda nostra conclusio est. Etenim Deum totum secundum omnia, quæ re ipsa habet, ac proinde eius scientiam, per eandem re ipsa scientiam à Deo cognosci, ac circa ea omnia eius intellectionem intentionaliter penetrative, & comprehensive versari dogma Catholicum est, à Scriptura, Conciliis, Patribus, & Theologis omnibus expressum: Et, ex quo plura alia Catholica, & Theologica dogmata pendunt, de divinis processionibus, aliisque rebus & veritatibus integrantibus Catholicam fidem: atqui de ratione proprii, verique obiecti solum est quod cognitione formaliter repræsentetur cognoscenti, atque illud per eam intentionaliter & repræsentative cognoscens attingat, circa illudque, ut à se cognitum, veretur: ergo Deus totus, scientiaque divina eiusdem scientiæ obiectum proprium verum & stricte dictum est. Illud solum (quod in minori probandum est contra Herize, ut necessitatem distinctionis realis à ratione obiecti, quæ obiectum essentialiter est, à sua cognitione excludamus) expressit S. Th. 1. p. q. 87. a. 3. sic factus: *Est aliquis intellectus* (divinus nempe) *qui est suum intelligere: Et sic in Deo idem est quod intelligat se intelligere, & quod intelligat suam essentiam: quia sua essentia est suum intelligere.* Et præclarus Aristoteles 12. met. c. 9. de divina intellectione scribens ad rem hanc dixit: *Se ipsam ergo intelligit, si est quidem, quod optimum est: & est quidem intellectionis intellectio.* Vbi rationem suo ingenio dignam pressit, quam nos mox exprimemus: sed dices: Hæc probare Deum se, suamque scientiam eadem re ipsa, scientia intelligere, quod in nostri argumenti maiore, nemine dubitante, allumebamus; non autem esse obiectum propriæ, aut in eo solum, quod aliquid intelligatur, & si realiter à sua intellectione non differat, rationem proprii, verique, & stricte dicti obiecti sitam omnino esse ut allumebatur in minori. Contra veros & simul istud proba. Nam esse propriæ, stricte, & vere obiectum, est propriæ & vere mente obijci cognoscenti: atqui Deus totus, eiusque scientia, vere, & propriæ menti obijciatur per scientiam ipsam cuiusmodi obiectis realiter, & quatenus ad scientiam attinet, formaliter idemificatam cum scientia ipsa, eo ipso, quod totus Deus eiusque scientia per se ipsam vere, & propriæ intelligatur: ergo illis Aristotelis, & S. Th. verbis memoratis continetur, probaturque particula illa *solum*, quæ probanda solum restabat.

4. Probat, secundo eadem particula *solum* minoris illius. Nam, licet obiectum cognitionis creatæ sæpe à cognitione sua realiter distinguatur, non distinguitur ex munere, seu ratione rei repræsentabilis, seu repræsentatæ vere, ac non fide per illam sed ex munere comprehensionis actui suæ cognitionis: quia in potentia cognoscitina creatæ non est adequata virtus actus cognitionis talis, vel talis obiecti: tum, quia linea actuitatis suæ ad cognoscendum hoc obiectum, vel illud indifferens est: tum, quia omnia prædicata cognitionis huius obiecti determinati, imo neque obiecti, illi non correspondent: quare, vel actuitate partiali obiecti, vel speciei, quæ ab illo frequenter actus procedit, compleri, determinarique actus indifferenter, & insufficientia actus illius porcinæ debet. Atqui munus repræsentati, vel repræsentabilis vere, & propriæ per cognitionem est ratio veri & proprii obiecti, neque distinctionem realem à sua cognitione requirit: licet munus aliud comprehensionis actui ad illam realem ab ipsa distinctionem requirit: ergo ratio propria obiecti veri non dicit distinctionem realem à sua cognitione, sed solum ea intelligi, & repræsentari. Minoris prima pars constat: quia munus principij actui rei rectæ cognitionis est agendi physice, & actuum; munus autem obiecti respectu eiusdem cognitionis est pati-

suam illius; scilicet, quod ea cognoscatur, attingatur, & repræsentetur. Constat etiam: quia plura obiecta, quæ per species à Deo inditas cognoscuntur à nobis sapere, & ab Angelis frequenter, vera & propria suorum cognitionum obiecta sunt; & tamen actiue ad illas non concurrunt, ac demum plura pro statu possibilitatis, & futuritionis conditionate (ad agendum, scilicet ineptè) obiecta vera, & propria sunt suæ cognitionis. Secunda vero minoris pars (quod scilicet munus hoc passiuum cogniti repræsentati, aut repræsentabilis per cognitionem distinctionem realem ab ea non requirat) probatur facile. Tum, quia neque fieri passiuè physice effectum, realem distinctionem à sua physica actione repositum, quia munus illud cogniti repræsentati, ac repræsentabilis (in quo rationem propriam stricti & proprii obiecti esse monstrauimus) proprie & verè in Deo, cuiusque scientia cum identitate summa cum ipsa stare certissimum, & dogmaticum est.

5. Probatur secundo conclusio: quia, licet in creatis non deatur potentia vitalis, sine physica actiuitate sui termini, ac proinde reali distinctione adequata ab illo; at quia, quæ intentionalis potentia, eam distinctionem ab illo non requirit, datur in Deo vera potentia notionalis, etiam actiua, sine eiusmodi distinctione & actiuitate physica; ergo, licet obiectum cognitionis creatæ distingui ab ea realiter debeat, vel ratione actiuitatis in illam, vel aliunde: quia tamen id ratione obiecti, & termini repræsentati per suam cognitionem non habet, dabitur in Deo ratio propria & stricta obiecti sine ulla reali distinctione à sua cognitione. Terrio probatur conclusio: quia nulla propria operatio potest dari in vilo genere sine termino proprio, sicut nec sine principio: imo, neque sine alterutro, adhuc concipi vlatenus potest: atqui terminus proprius operationis intentionalis, seu, quod idem est, cognitionis, est proprium obiectum: ergo nulla vera cognitio seu operatio intentionalis dari potest sine proprio, & vero obiecto: sed intellectio diuina verè & proprie intellectus & operatio intentionalis est: ergo nequit dari sine proprio & vero obiecto. Pergo: nihil creatum potest esse proprium obiectum, sine quo non sit intellectio diuina; ne diuinum aliquid à creaturis in aliquo statu, adhuc possibilitatis intrinsecæ earum, dependeat, ac proinde maioris necessitatis, & constantiæ in sui existentia non sit, quam creaturæ, etiam possibiles, nec sit ens summè necessarium comparatiue, vt esse Deum ostendimus controuers. I. d. vltim. de omnipot. ergo obiectum proprium, seu terminus proprius intellectiois diuinæ debet necessario esse diuinum aliquid ab ea realiter indistinctum, ipsique re ipsa identificatum: tantum abest, vt Deus cuiusque scientia proprium obiectum & terminus proprius diuinæ intellectiois non sit, vt nihil præter Deum ipsum obiectum proprium & necessarium sine quo non diuinæ intellectiois esse queat.

6. Quarto probatur conclusio ratione ab Aristotele attracta: quia diuina cognitio è prædicato diuinæ debet esse infinita physice & metaphysice per denegationem termini, etiam extrinseci, vt vniuersum de omni prædicato diuino ostendebamus controu. I. ac proinde debet esse summa, siue vt Aristoteles recitatus aiebat num. 3. *quod primum est*, in sua linea intellectiois: Ergo debet esse omniscientia, seu intellectio proprie omnis obiecti proprii, & verè intelligibilis: atqui Deus cuiusque scientia est proprium, & verum obiectum intelligibile: ergo Dei totius, cuiusque scientiæ tanquam veri obiecti intelligibilis cum ipsa identificari intellectio, & scientia, diuina scientia, & intellectio est: ac proinde Deus cuiusque scientia huius metaph. scientiæ verum & proprium obiectum est. Ex hac sane ratione constat, obiectum, & terminum verum, ac proprium scientiæ, vniuersum loquendo, ne formaliter quidem, nedum realiter, à sua scientia, aut cognitione, distingui debere; licet realiter à creatura sua cognitione debeat differre.

7. Oppones obiectum à sui cognitione differre debere, ex S. Thom. 3. controu. 9. cap. 26. argum. 3. dicente: *ipsum intelligere, quod intellectus intelligit, alienius obiecti est. Vnde oportet, quod vel procedatur in infinitum, vel, si est deuenire ad primum intellectum, hoc non erit primum intelligere*: quia, scilicet, esset sui ipsius intellectio, seu intelligere, quod repugnat. Ratio autem est:

quia intellectio est vera relatio ad suum obiectum, verèque illius repræsentatio; nihil autem seipsum repræsentare, realiter respicere potest. Respondent nonnulli, obiectum inadæquate solum, non autem secundum se totum à sui cognitione realiter distingui debere: vt patet in hoc iudicio, *omnis propositio est expressio atque assensus, vel dissensus circa iudicatum*, in cuius obiecto necessario hæc eadem propositio cum reliquis aliis sub termino *omnis* continetur: quare eius obiectum inadæquate solum ab ea cognitione, & propositione distinguitur. Cum autem scientia diuina non in seipsam seorsum feratur, sed in Deum totum, in quo plura alia continentur, eius obiectum ab ipsa scientia inadæquate diuersum erit: quod ad obiecti proprii rationem satis est. Sed certe, vel admittitur cognitionis ad suum obiectum realis relatio, ac proinde realis distinctio ab illo, vel secus. Si primum: Cum ad terminum realem, atque vt re ipsa est, realis relatio esse debeat: atque in Deo realiter sumptum simplicissimo & indiuisibili, vnum, & aliud non sit, ad idem ipsum diuinæ scientiæ terminabitur realiter cum respicit, ac repræsentat essentiam, atque cum repræsentat æternitatem, vel scientiam: nec locus erit partiali vel totali obiecto, vt re ipsa est realiter transcendentaliter repræsentato: cum, vt sic indiuisibilis sit, nec partibus constet.

8. Secundo non minoris repugnantie est aliquid ad seipsum simul cum aliis, quam ad se seorsum sumptum referri. Respondit Magister Didacus Daza secundum diuerfas formalitates rectè posse idem cogniti, & cognitionem esse: atque ita euenire scientiæ diuinæ: vt formaliter sumpta sit sui ipsius identicè realiterque sumptæ cognitio. Id quod exemplo illius propositionis vniuersalis confirmari etiam poterat. Sed perit prima impugnatio data contra solutionem primam. Sic enim in cognitione realis, & physice respectus, transcendentalisque relatio ad suum obiectum, ac proinde vtriusque realis distinctio, formalis eiusdem scientiæ à seipsa diuersitas nihil conferret. Secundo cum identitas realis scientiæ cum diuinis aliis non destruat scientiæ formalitatem, sed solum metaphysicam eius ab aliis prædicatis diuinis præcisionem, rationisque ratiocinata distinctionem, si in seipsam, vt realiter identificatam cum diuinis aliis feratur, referaturque, in seipsam secundum suam veram formalitatem referetur, ac simul in alia: quare solutio hæc penetrata in primam recidit; solum enim responderet scientiam non posse esse sui ipsius adequatum obiectum, bene tamen cum aliis, cum quibus adequatum obiectum constituitur: quare & solutionis primæ impugnationibus patet. Propterea dixi posse exemplo illius propositionis vniuersalis confirmari. Illud autem exemplum ad rem non esse facile ostenditur. Siquidem propositio illa vniuersalis non habet seipsam pro obiecto secundum speciem & peculiarem rationem; sed solum rationem communem propositionis, & singularitatis: quomodo propositio omnis vniuersalis indiuidua omnia tantummodo coeret. Equis enim indiuidua omnia speciei vnius secundum indiuiduationes in particulari cognoscit, dum vniuersalem profert propositionem?

9. Negandum igitur est cognitionem & representationem obiecti vniuersum realem physicum transcendentali respectum ad obiectum & repræsentatum imbibere: non quidem, quia solum prædicamentalem ex ipsa, & obiecto constatam dicat (vt asseruit doctus, & acutus alias VVadingo d. 6. incarnat. dub. 6. §. 4. num. 80.) sed, quia operatio & modus ac repræsentatio vera quidem, & realis, sed intentionalis est: de cuius proinde ratione non sit realiter, imo neque formaliter differre: licet ob rationes alias in creatis cognitionibus realis à suis & physica distinctio necessaria sit, vt statim dicemus. Constat id quidem in diuina sui, ac Dei, cum quo re ipsa identificatur, cognitione, rationibusque pro hac veritate hæctenus datis. Secundo: quia non minus est operatio intentionalis realis & vera intellectio respectu potentie intellectiue, quam respectu obiecti: & tamen cum potentia hac re ipsa identificatur, vt vidimus. Imo actionem physicam cum altero extremo, scilicet termino identificari posse, de factoque sapè identificari realiter cum termino per ipsam productio communiter Auctores docent. Imò & cum principio actiue æquè identificari quan-

doqna

doque verosimilius esse ostendimus: quare in Deo scientiam, & obiectum realiter, imo & formaliter identificari posse, licet in creatis, ne realiter quidem, identificari queant: proinde in his realiter physicè respectiva transcendentaliter sui obiecti cognitio omnis sit, facile fidebitur.

10. Primo: quia creata cognitio, cum solum entia rationis, sua quasi activitate facere possit, reliqua cognoscenda, quæ non ficta, sed vera cognoscibilia sunt, supponere necessario debet: maximè, cum cognitio indicativa est, quæ materiam iudicii necessario supponit: nequit autem ipsam cognitionem supponere, ne sit antequam esse, non solum physicè, sed & mente concipiatur. Secundo: quia vis cognoscitiva, & cognitio eo magis minime sibi commutatorum cognoscitiva est, quo perfectior, imperfectiorve est. Hinc imperfectiora animalia nihil suorum actuum percipere valent: atque è sensibus, externi (qui imperfectiores sunt, adhuc in brutis perfectioribus) suos alius non percipiunt: quos tamen interni percipit sensus in virtute: si ergo supra suos actus reflexiva virtus à perfectione potentie cognoscitivæ debet provenire, ut ex experimentis evincitur, fiet sane, imperfectam, nec summè cognoscitivam potentiam, non summè, sed valde limitatam virtutem reflexivam supra actus suos habere posse: ac proinde eodem actu non posse supra ipsum reflectere: posse autem ita reflectere divinam, quæ summè cognoscitiva potentia est, nihilque ex prædicato entis à se, ad sui, luxque cognitionis & scientiæ existentiam supponere potest: maximè, quia alias infinita ac summa scientia non esset.

11. Testimonium ex S. Th. pro necessitate distinctionis realis scientiæ à suo obiecto, distorto sensu adducitur: ut plerique testimonia ab unoquoque pro sua sententia induci solent. Id quod, vel inde satis constat, quod expresse loco à nobis citat, ex 1. parti, de scientia Dei loquens dicit: primum cognoscitivum, seu intellectum, qui Deus est, primamque eius scientiam esse idem ipsum primum intelligibile: loco ergo opposito ex 3. contra gentes agit expresse de amore & intellectu creatis: disputans in quoniam eorum actuum nostra formalis beatitudo consistat in creatis autem non negamus obiectum, & actum, siue intellectum, siue amoris primum intelligibile esse non posse. Illud denique de representatione, quæ realiter à representatione debet differre, de intentionali representatione falsum esse ex dictis constat: imo Rex ut potestis velit seipsum in scena representare: neque Christus Dominus seipsum in cruce patientem, macta: unque crucem, in incurrente Eucharistia sacrificio, quod illius crucem memoriale & representatio est, representat.

CERTAMEN II.

Deus solus, & quia Deus, siue secundum essentiam specificatum divine scientiæ formaliter est.

1. Recentiores Complutenses, cum quibus ingenij quam animi distidium nobis, tam in philosophicis, quam in Theologicis semper fuit, manuscripto de volunt. negant Deum suæ scientiæ, etiam prout in Deum ipsum fertur, specificatum obiectum esse: licet verum obiectum sit: quia specificatio, vera quædam causalitas specificantis in specificatum est, atque huius ab illo dependentia, quæ eiusdem ad seipsum esse nequeunt: quia vero facile huic argumento distinctione virtuali satisfieri posse putant (cum tamen inter Dei scientiam respectu sui nulla virtualis distinctio intercedat) aliter conclusionem probant: quia infinitas cognitionis, & representationis divine competit divine cognitioni præcisè: quia Dei. & divina est: ergo non sumitur ex Deo, ut obiecto. Probant quoque: quia alia attributa omnia infinita sunt, prædicto: imo, cum habeant obiectum creatum ut patet in omnipotentia: inde vero probant consequentiam: quia si prædicato divini, seu quod Dei possessivè sit competit

divinæ cognitionis sui, suæque representationis infinitas tota, competit quidem ei & prædicato superiori, & communis attributis omnibus omnibus: quare impertinenter se habebit ad illam Deus, ut obiectum: sicut, quia cognitio Angelici ex prædicato accidentis substantiæ spiritualis superius est, omnibus eius accidentibus contentis spiritualitas, quod sit huius obiecti spiritualis, vel materialis impertinenter est ad eius spiritualitatem. Confirmantur: quia opera humanitatis Christi independenter ab obiecto honesto infinitum habent valorem: præcisè ex infinita operantis dignitate proveniente ex unione hypostaticæ: ergo, & cognitio divina infinitatem habebit independenter ab obiecto vilo, & sola Dei cognoscens infinita perfectione. Neque enim minus repugnat, actum, & operationem infinitæ essentia divine limitatæ perfectionis esse, quam limitati meriti actum naturæ unitæ Deo hypotharicæ. Cum non magis determinata sit dignitas unionis ad infinitum meritum, & valorem suorum operum, quam infinitas naturæ ad infinitatem suorum actuum.

2. Histamen non obstantibus vera nostra conclusio est: scientiam Dei à Deo ipso non solum, ut intelligente intentionaliter actus, sed ab ipso, ut obiecto verè specificari adæquatè, ut communiter Theologi dicunt: qui propterea Deum suæ scientiæ primarium, & specificativum obiectum vocant: reliqua vero creata secundarium: ita sentiunt S. Thom. 1. par. qu. 19. art. 5. Vbi eius interpretes Caiet. & Dominici reliqui, Vasquez ibi & d. 60. Arrub. d. 29. cap. 3. Magn. Albert. in 1. d. 35. art. 1. Agyd. qu. 3. Dur. quæst. 2. Argentina qu. 1. Scotus quæst. 1. § ad ista, Alen. 1. par. qu. 23. met. 1. & 2. atque qu. 25. metaph. 2. art. 2. Henricus quodlib. 9. qu. 2. & uno verbo fere Theologi omnes: & quidem nihil creatum, siue possibile, siue futurum scientiam Dei specificare posse facile probatur: quia si ab eis specificaretur maioris necessitatis, quam creata, à quibus specificaretur, scientia Dei esse non posset: id quod cum summa divinorum omnium, adhuc comparativa, necessitate stare minime potest. Secundo hoc volunt Doctores omnes, qui creaturas obiectum secundarium divine scientiæ esse docent: quod autem Deus suæ scientiæ specificativum sit, probatur primo ex consensu Theologorum etiam, qui Deum obiectum primarium suæ scientiæ esse teneant. Neque enim obiectum scientiæ primarium est, quod est nobilius illorum, quæ per illam representantur. Alioqui è duobus æque primo per eandem cognitionem representatis nobilius obiectum primarium esset: ac proinde altero, ex representatione etiam, deficienter cognitio eadem in creatis perseveraret: dum tamen nobilius aliud representaretur, quamdiu enim obiectum primarii cognitionis perseveraret, perseveraret etiam cognitio: quia hoc solum est obiectum per se illius: secundaria vero obiecta eius, sunt obiecta per accidens.

3. Respondent Recentiores Deum dici, esseque obiectum primarium, & motuum suæ scientiæ, non, quia nobilius præcisè illius obiectum esset, sed, quia, licet de se Deus, ut intellectus, determinatus sit, ut quandoque cognoscat infinite cognoscat, habeatque infinitam cognitionem: tamen Deus ipse, ut obiectum movet obiectivè, ut de facto ea infinita scientia, & cognitio sit: ac proinde trahit ad se illam infinitam cognitionis perfectionem, quam eidem cognitioni, ut intellectus determinat Deus. Contra tamen est: quia vel, ita determinatus est Deus, quia intellectus, ut infinite cognoscat, quandoque cognoscat, ut quodcumque obiectum occurrat menti divine movere possit, ut de facto sit ea infinita cognitionis perfectio, ad seque illam trahere independenter ab eo quod Deus ipse divine menti obuerteretur, & cognoscat, vel non? Si primum æque verumque, creatura, & Deus primarium scientiæ divine obiectum erunt: obiectum primatum obiectis è forma nobilitatis, & perfectionis entitativæ eorum primatum contra omnes, & ratione facta deferat: quod refutabas. Si autè sine Deo cognitio nequit esse ea motio obiectiva, ut de facto sit ea infinita perfectio divine cognitionis, ad quam Deus, ut intellectus non aliter determinatus est, quam sub conditione, quod Deus per cognitionem menti divine obiciatur: ergo non est Deus, ut intellectus, adæquata ratio, & principium absolute infinite perfectionis suæ scientiæ, sed solum in adæquatum, quod completur Deo ipso, ut obiecto, & sub conditione, quod Deus, ut obiectum moveat ad sui cognitionem intentionaliter. Hoc autem ipsum est esse obiectum

obiectum primum specificatum: ergo eiusmodi obiectum est solus Deus respectu sue scientia.

4. Probatur secundo: quia cognitio essentia sua aequae est obiecti alicuius cognitio; atque est alicuius intellectus: est enim actualis exercitium representandi aliquid alicui, atque est potentia intellectus exercitium: ergo nulla eius perfectio, aut infinitas esse, intelligi potest independentem ab omni obiecto: implicat enim essentia perfectionem esse, aut intelligi non intellecta, seu sublatam essentia: maxime, cum perfectio, seu infinitas, ne formaliter metaphysice quidem, ab essentia infiniti differt, ut in diuinis euenit; quare omnia per essentiam suam infinita sunt. Et quidem, si cognitio ex genere, & essentia sua eiusque perfectio independentem ab obiecto, primum saltem, intelligi, & esse potest: non est cur in creatis attendenda sit obiecti perfectio, ut cognitioni perfectio entitativa taxetur; sed solius principij efficiens habenda ratio erit. Dices in creatis principium efficiens, seu cognoscens, non esse determinatum ad tantam perfectionem cognitionis, sicut in diuinis ad infinitam cognitionem. Offendi argumento primo, non ita esse determinatum absolute, & adaequate principium efficiens ad infinitam suae cognitionis perfectionem, in Deo, sed solum inadaequate, & ex parte sua, ac sub conditione obiecti infiniti etiam, seu Dei obiective mouentis. Contra secundo: quia, si semel illud principium negetur: quod scilicet cognitionis, ut sic, essentia eiusque perfectio nequeat esse, aut intelligi sine ordine ad obiectum, atque dependentem etiam ab illo aequae atque a principio seu potentia cognoscente: non est unde probetur cognitionis creatae entitativam perfectionem non posse determinari & solius potentiae cognoscitiae perfectione: ratio enim unica ad id probandum est: quia cognitio est genere suo aequae primo, & indissolubiler respectiva est obiecti, & potentiae: ac proinde ex alterutro potest eius essentia, atque entitativa perfectio limitari.

5. Hinc apparet falsum esse illud antecedens, cui suam doctrinam sustinendam imponebant recentes. Nempe infinitatem diuinae cognitionis & praedicto superiori, quam eius respectus ad obiectum ipsi conuenit: nempe ex praedicto diuini communi omnibus eius attributis: licet enim, quicquid diuinum est, infinitum esse debeat per essentiam suam, tam physicam, quam metaphysicam, non tamen absque sua essentia aliquid infinitum per essentiam esse potest: id enim in terminis implicat: ex eo ergo, quod diuinum est per identitatem, cum Deo debet esse quicquid diuinum est infinitum per essentiam: Ad id autem opus est, ut quicquid essentia sua respectum extremorum est, utrumque extremum infinitum simpliciter habeat, neque aliter in Deo esse possit: quae etiam ratio praecipua est, ut Dei omnipotentia a creaturis omnino absoluta asseratur (quantum recentes hi non ammaduerunt respectum illarum esse docere: ac subinde sublati possibilibus defectibus: quare nec fore omnipotentiam, nedum infinitam fore, eadem consequentia, qua nunc contra ipsos absque obiecto cognitionem, neque creatas videas aequiuocationem eius vocis *diuinum*, quae recentes hosce decepit: aduerte diuinum vniuersum proprium, quicquid identice Deus re ipsa est: & actus intellectus, & amoris, qui sunt vitales intentionales, diuinos specialiter dici: quia a potentia intellectiva, vel volitiva diuina vitaliter intentionaliter eliciuntur: rogo ergo Recentiores an intellectus *diuina* infinitas praedicto illo superiori, & vniuersali omnibus diuinis attributis, scilicet diuinae, per solam physicam identitatem cum Deo, adaequate determinetur, an per specialius aliud *diuina* per efficientiam intentionalem ab intellectu diuino? si primum: ergo contra hos recentiores non determinatur infinitas diuinae cognitionis ex praedicto *diuina* intentionalis scientiae a diuino intellectu: quia ex superiori alio *diuina* identice, si quid eorum argumentorum probat determinatur: si secundum: cum eodem gradu sit cognitio a potentia elicitiva, & ab obiecto, non conueniet ei ex praedicto superiori, cessatque argumentum, seu aequiuocatio recentiorum.

6. Itaque & praedicto *diuini* identice infinitum essentia sua quodvis praedictum diuinum debet euadere, quod essentia sua respectum neque realiter, neque intention-

naliter est: sed adaequate, & absolute ad eiusmodi infinitatem est determinatum: quod essentia vero sua respectum alterutro modo est, nequit in sue essentialis perfectionis infinitate ab extremis magis, quam ab essentia sua praedicta: quare determinatio ex praedicto diuini identice absoluta, & adaequate proxima ad eorum infinitatem per essentiam non est: sed dependenter ab extremorum infinitate, & remote: quatenus ad extrema infinita determinat. Hinc euadent pariter omnipotentia, aeternitas, immetensitas, & similia, quae respectiva aliorum essentia sua non sunt. Item spiritualitas accidentium Angelis, quae, qua talia solum substantiam spirituales tamquam subiectum requirunt.

7. Quoad praecedentiam, & prioritatem veram Dei, ut obiecti respectu scientiae suae videbitur alicui possit concedi veram prioritatem intentionalem, licet non physicam: sicut de prioritate activa vera intentionali potentiae intellectus respectu scientiae eiusdem dicebamus. Non satis capio posse esse veram prioritatem viliam eiusdem formalitatis ad seipsam, adhuc formaliter: quare, licet scientia respectu aliorum ad ipsa praedictorum, & formalitatem diuinam posterioritas vera atque in illis prioritas vera obiectiva concedi possit: aut scientia respectu sui ipsius vera prioritas assignari non poterit. Ceterum nihil diuinum prioritate vera obiectiva diuinam scientiam praecedere vero mihi similis est: quia concedere obiecti terminantis praedicte cognitionem nullum dicit in illam influxum verum, sicut cum dicit potentia intellectus ex speciali ratione sua, & vniuersaliori vitalitatis. Ex eo autem, quod formalitates aliae a scientia distinguantur formaliter ab illa, satis non est, ut statim obiectus influxus verus in illam, veraque prioritas concedatur: tum quia influxus ex distinctione vnius ab alio non inferitur: ut patet in pluribus, sed ex munere, quod in obiecto, qua tali terminandi primario, seu secundario est, non influendi. Nec satis videtur manus obiecti primarij esse specificare cognitionem: id enim solum est terminum necessarium esse quod prioritas & influxus non est, ut patet in actione, & termino respectu illius: quod si eam specificationem extrinsecam prioritatem fore contendas, non multum grauebor. Cum terminus extrinsecus aliquo modo sit neque a diuina scientia positus ut terminus actionis per ipsam ponitur, sed suppositus.

8. Denique assero tertio, obiectum primum & specificatum diuinae scientiae, formaliter, & metaphysice loquendo, non esse diuina omnia, adhuc necessaria, sed solum praedictum essentiale, seu essentiam metaphysicam Dei: licet physice identice, & materialiter sint omnia necessaria; communia, non autem personalia & contingencia: est conclusio nostri Granados 1. p. tract. de scientia Dei 1. m. 4. & Valg. d. 4. c. 3. & d. 6. c. 3. & recentiorum plurium, & doctorum omnium, quos dedimus contra de Trinit. d. 5. Vbi ostendimus, verbum non procedere per se quarto modo ex cognitione creaturarum, personarum, & actuum liberorum; & si contra magnum meum magistrum Didacum Daza, & alios qui asserunt, Deum secundum omnia sibi identice primum & specificatum suae scientiae obiectum. Ratio de personis, & contingentibus est: quia pro priori natura, seu originis stare debet obiectum per se quarto modo requisitum ad processiones, ac proinde ad cognitionem infinitam per essentiam: quare, quae pro posteriori adueniunt, nihil cognitionis in Deo ponunt, neque obiecta primaria, seu specificata esse possunt: quod ipsum habet cognitio respectu volitionis praesentis libere, qua suo modo intentionali veritate praecedit & a qua ut talis, nequit specificari: contingens formaliter fit. Sed tam de his, qua de reliquis ab essentia metaphysica Dei, ut ab ea praesentis, non specificantur formaliter & primario diuinam scientiam loco citato de Trinit. probauimus: ac rursus probaui: tum, quia ordine metaphysico primum est, atque in genere entis simpliciter, imo simplicissime talis, obiectum infinitum per essentiam: ac proinde sufficiens infinitam simpliciter infinitatem diuinam terminare cognitionem: quare reliqua nihil, metaphysice loquendo, cognitionis, & repraesentationis addunt: cum, quasi posterior cognoscantur, tum praecipue, quia tota veritas obiectiva diuina formaliter in essentia metaphysica Dei, seu praedicto entis a se in

diuinit est: ratione cuius reliqua diuina siue communia, siue personalia, vera adiectiue metaphysice sunt, habentque positum soliditatem essendi non apparenter, in quo veritas metaphysice sumpta consistit: vt constat ex controu. de Trinit. l. 6. q. 2. & ex contr. 1. quare, cum cognitio & veritate, tanquam à formali specificatio, & primario obiecto specificetur, per se metaphysice, & formaliter loquendo, ab essentia metaphysice adæquate specificabitur: quæ his opponi poterant (quod Dei cognitio, vtpote intuitiua, nequit vere concipi in vnum Dei prædicatum sine alio fecti) salum esse constat ex dictis sæpe, tam hoc toto quam controuersis de Trinitate, & incarnatione, vbi docuimus cognitionem, etiam intuitiua, præcisiua ex parte obiecti esse posse: secundo, eo admisso, solum probare reliqua ab essentia obiecta necessaria simul cum essentia cognitionis diuinæ obiecta esse debere, non autem specificatiua formalia, seu ratio, sub qua, ab ea attingantur, sed solum materialia, quæ ratione essentia, cui identificantur materialiter, iure identitatis, attinguntur.

CERTAMEN III.

Qui obiecta alia à Deo ad diuinæ scientiæ obiectum primum & specificatiuum aduocant, confutantur.

1. **N**on desuere, qui, licet Deum respectu cognitionis sui primum obiectum & specificatiuum adæquate esse doceant: imo, & cognitionis eiusdem, quatenus inde ad creaturas indirecte terminetur; aut respectu cognitionis Dei de creaturis directe immediate habere independenter ab eo, quod seipsum cognouerit, creaturas solas esse directum primum specificatiuum, & adæquatam obiectum, docuerint: ita Scot. in 1. d. 35. q. 1. §. Ad ista quidquid aliter eum in meliorem interpretetur sententiam Valentia. l. p. d. t. gener. q. 14. vt clare ostendunt Valsq. d. 60. c. 1. & 3. de attrib. cap. 21. & sequuntur Scotum Gregor. d. 36. & alij in manuscriptis referentes nostrum Valsq. d. 50. & 60. citata: Cum tamen ille solum neget Deum, vel beatos cognoscere illas in seipso, tanquam in obiecto adæquate primario & specificatiuo siue omniscientiæ & cognitionis obiectum quorumque, vt semper asseruit: atque eo sensu Patrum testimonio, quæ cognitionem creaturarum à Beatis, vel à Deo in seipso, tanquam in medio sonare videbatur, constanter vbi vis exponit. Ceterum doctrina hæc duplicem ponit in Deo creaturarum cognitionem; alteramque ab altera omnino independentem, & inconnexam: quod repugnat prædicato scientiæ diuinæ, quæ, quæ diuina præcise cognitio, è suo essentiali conceptu indissolubiter, etiam formaliter, infinita in suo genere per denegationem terminat, adhuc extrinseci, quare & omniscientiæ esse debet. Vt cert. 2. ac sæpe alias in hac controuersia attigimus, fuisseque controu. 1. monstrauimus: siquæ & omniscientiæ infinitæ per denegationem terminat, etiam extrinseci, è conceptu suo essentiali repugnat alia quauis obiecti cognitio, quoad substantiam, vel modum in illa ita infinita, adhuc formaliter, non inclusa.

2. Ad hæc cognitio illa alia directa creaturæ, atque à creatura ipsa tanquam ab obiecto primario, & specificatiuo Deo addita essentia sua à creatura, tanquam à termino specificante ipsam, penderet: quare nec maioris necessitatis, quam creaturæ ipsam specificantis foret; cum maioris longe necessitatis, quam creaturæ, etiam secundum statum possibilitatis præcisiuæ, quidvis diuinum sit esseque debeat: vt de inconnexione omnipotentiæ cum creaturis possibilitibus ostendebamus controu. 1. d. de omnipotentia. Est enim possibilitas rerum necessaria sit, nequeque non esse: nec possibilita prouide possint ad impossibilita, siue ad impossibilitatem migrare: aut magis necessitatis rerum possibilitate Deus est, magisque illi repugnat non esse, quam possibilitibus impossibilitas repugnat: vt late ibidem ostendimus, fundatque in doctrina

Christoph. de Orig. de Deo Vno, Tomus I.

Aristotelis 4. met. cap. 4. necessitatem vnam maiorem alia necessitate expresse admittentis. Tercio cum Deus creata non solum, vt possibilis, sed, vt absolute futura, & existentia directe, & independentem, à Deo tanquam à suæ scientiæ specificatiuo & primario obiecto, (horum sententia) cognoscat atque absolute rerum existentia, & futuritudo caduca de se sit, & defectibilis: & cognitio ipsa Dei de illis iuxta hanc doctrinam caduca de se sit, atque absolute defectibilis erit: quod diuino prædicato secundum intrinsecum sui conuenire repugnat: quarto demum inferitur cognitionem hanc diuinam, & cognitionem alia, quæ se Deus, & creaturas in se, tanquam in obiecto primario, & specificatiuo, indirecte & mediate (vt hi loquuntur) cognoscit, esse imperfectionem intrinsecam: & directam creaturæ cognitionem eo alterius creatura directam cognitionem imperfectionem intrinsecam esse, quo creatura illa imperfectior, & imperfectior sit: iuxta dicta cert. 2. & doctrinam Aristotelis 3. met. tex. 15. & 1. de anima tex. 86. & alibi pluries: & tandem nequit non ex utilitate obiecti primarij, & specificatiui creati cognitio diuina, quoad intrinsecum vilescere.

3. Secundo Arrubal nos. l. p. t. d. c. 1. ait Deū obiectum primum, & specificatiuum suæ scientiæ esse, etiam vt versatur circa creaturas, atque ad illas representandas porrigitur. Ceterum id muneris, non quia Deum, sed solum, quia omnipotentem, habere: vt verum omnino sit Deum habere in se rationem omnia creata cognoscendi, eo præcise, quod in se omnipotentiam, siue illorum omnium virtutem, & principium habeat. Secuti illum sunt recentiores comprouinciani nostri, quos eius Doctoris affectus non tam illius amor, quam in nostrum Valsquez, & eius Affectum magnum Magistrum meum Daza odium, & invidia, non multa laude, fecit in eandemque sententiam ire mihi visus est Herize nos. l. p. tract. 1. d. 5. c. 3. §. 1. qui sane inconsequenter negat rationem obiecti primarij, & specificatiui cognitionis diuinæ de creaturis, cognitioni ipsi, in qua formaliter, nec solum eminentialiter (quod satis ipsi est, vt omnipotentia obiectum primum specificatiuum sit) continetur, quod enim ait continentiam creaturarum in omnipotentia realem, robustioremque esse, in earum vero cognitione intentionalem, ac debiliorem, friuolum est. Nam, & intentionalis, continentia creaturarum in cognitione earum diuina, non ficta, & chimerica, sed vera, & realis est, sicuti vera & realis est illarum representatio: atque ex alia parte formalis, clarior, & expressior, quam earum in omnipotentia quod, vt in eius cognitione, tanquam in primario obiecto, & specificatiuo, clarior & expressior earum cognitio euadat, vt ad illas representandas clarior extendatur, magis proculdubio iuuat, quam robustior alia continentia earum in omnipotentia, quæ in linea physice actiuitatis, non in linea continentie intentionalis, & representationis, ad quam munus obiecti primarij & specificatiui spectat, tota continetur. Secundo quia citato loco ait: non solum omnipotentiam, sed, & cognitionem seu comprehensionem diuinam possibilem, quæ solum, est intentionalis, & debilis (vt ipse loquitur) eorum continentia, esse medium, in quo possibilia omnia cognoscantur: ergo intentionalitas, & debilitas continentie creaturarum in sui cognitione comprehensua diuina non obicit, vt à Deo, vel beatis in ipsa, tanquam in obiecto primario, & specificatiuo cognoscantur.

4. Sed, missis Doctoris huius inconsequentis, sic primo sententiam ipsam impugno. Ponamus enim per impossibile sublata omnipotentia creaturas possibiles manere possibiles: quod, etsi repugnet, admitti ad questionis examen rigidum debet, cum questionem, cuiusque suppositum non destruat, hæc liquet: solum est de obiecto formali primario, & specificatiuo, ratione cuius creaturæ cognoscantur à Deo; non autem de obiecto materiali, & pure terminatiuo, cuiusmodi esse supponimus creaturas, siue possibiles, siue existentes, videlicetque illæ, possibiles, vel existentes sunt, quod questionis non refert: quemadmodum querimus: an si spiritus non procederet à filio, distingueretur realiter ab illo: quæ tunc hypothesis impossibilis est, & tamen admittitur, vt inde dignoscatur, an à filio procedat, quia cum de fide distinguendus sit, si sublata per impossibile eius

A a a

à filio processione non distingueretur, rectè inferretur à filio procedere; si autem adhuc ea processione sublata distingueretur, ob quam ponitur eius à filio processio, quia inferretur à filio distinctio & non ratione processionis ab illo. Ponamus secundo (id quod mihi, Arrubali, & eius in questione præfenti, verissimum & certissimum est) nempe Dei infinitatem in mutua attributorum, & essentia inclusione minime stare, sed diuinam ob quam eius à filio processio ponitur, quare & ipsum à filio non procedere) essentiam de se formaliter infinitam esse absque attributi alicuius iuuamine. Tū sic sublata per possibile vel impossibile à Deo omnipotentia adhuc ab ipso cognosceretur creatura, si manerent possibiles; ergo ratio eas cognoscendi non est Deo eius omnipotentia, tanquam obiectum primum, & specificatum suum, ut ad illas porriguntur, cognitionis. Consequens est legitima. Rectè enim inferretur non esse rationem peritit. Antecedens probatur. Sublata à Deo omnipotentia Deus peritaret infinitus in essentia, ut aduersarij etiam fatentur, atque ipsum cognosceret: quandoquidem Dei erga seipsum cognitio, aduersariis etiam fatentibus, omnipotentiam pro obiecto primario, & specificatum nullatenus habet: ergo peritaret deficiente omnipotentia cognitio diuina infinita simpliciter, etiam per denegationem termini extrinseci. Patet consequentia: quia peritaret cognitio diuina ab obiecto, & potentia reali intentionali simpliciter, & è genere suo infinita per denegationem etiam termini extrinseci: ergo peritaret Deo omniscentia est aperta: quia, si omniscentia sit, infinita per denegationem etiam termini extrinseci è genere suo esse non posset: quandoquidem aliquid generis eiusdem restaret extra ipsam, quod addi ipsi posset: quemadmodum, & quantitatis alicuius infinitæ non ex genere suo, sed ex plurimum partium coniunctione coalesceret, nec infinitas reliquas possibiles intra suam magnitudinem clauderet: iam vero, si ita infinita Dei scientia est, omniscentia necessario, ac proinde creaturarum pro quouis earum statu possibilitatis, & scientia, erit, etsi per impossibile omnipotentia Deo desisset, ut in antecedenti dicebamus.

5. Dices ex hypothesi impossibili, quod omnipotentia deficeret, non esse imperfectionem, quod possibilia à Deo non cognoscerentur, etsi per impossibile manerent, nec infinitæ perfectionis diuinæ scientia derogare, quod ea non repræsentet. Sicuti nec derogat in eo casu, quod omnipotentiam non repræsentet: neque Deitatis infinitati, quod ei attributum omnipotentia deficiat. Sed tamen neutra paritas præstat. Non vltima: quia omnipotentia infinitatem simpliciter talem Deitatis nullatenus formaliter constituit: quare nil mirum, si omnipotentia sublata formalis Deitatis infinitas simpliciter, & ex genere suo talis non deficeret. Non primum: quia sublata omnipotentia eius scibilia obiectiuaque veritas non esset: quare, quod tunc non cognosceretur, quare tunc non esset: quare infinitati scientia Dei non officeret: alio obesset, si possibilia, quæ eò casu ponimus permanere, non cognoscerentur: quia, & scibilia, ac vera obiectiua forent: ad quæ, si diuina scientia pertingeret, omnia scibilia non repræsentaret: quare nec omni scientia esset, nec simpliciter è genere suo infinita. Dices secundo: Arrubalem, & alios loqui de omnipotentia radicaliter sumpta; quo pacto idem cum essentia est non de omnipotentia formaliter: quare argumentum euanesceat. Contra vero: quia facta impossibili omnipotentia formalis, nec radicalis conceptus omnipotentia magis esset in essentia diuina, quam alterius cuiuspiam chimæ. Secundo æquè est essentia diuina, immanitas, misericordia, bonitas, æternitas, ac cætera attributa radicaliter, atque è omnipotentia radicaliter sumpta, prout sunt in essentia, omnia erunt obiecta primaria, & specificata, & rationes cognoscendi creaturas possibiles, æquè atque omnipotentia radicaliter sumpta, quod hi Doctores negant. Tertiò sic sumpta omnipotentia nil aliud, quam essentia diuina est: ergo asseris solam essentiam esse obiectum primum, & specificatum cognitionis Dei,

non solum erga seipsum, sed etiam, quatenus creata pertingit contra tuam conclusionem. Quod neque esse poterit principium per modum speciei impletæ cognitionis creaturarum (ut Arrubali asserit, etiam de omnipotentia eodem modo à se intellecta) sed vnum, & idem principium cum illa. Denique eualio hæc, etsi ab asseris Recentioribus pro sententia Arrubali excogitata contra eius mentem est, qui de omnipotentia formaliter sumpta loquitur.

6. Impugnatur secundo sententia eadem: quia in omnipotentia quouis modo, siue formaliter, siue radicaliter sumpta, non continetur adequatè plurimum præcipue possibilitatis, sed solum inadquatè, ut patet in actibus vitalibus, qui essentialiter pendunt à potentia vitalibus creaturarum viuientium, sicut ab omnipotentia essentialiter pendunt: acui inadquata continentia actiua non sufficit, ut in illa cuiusmodi actus, siue tanquam in obiecto primario, & specificatum adequatum cognitionis earum cognoscantur: creaturæ: ergo non ita cognoscuntur à Deo in sua omnipotentia. Minor probatur: quia alias vitales sui actus ab Angelis vel hominibus in suis vitalibus potentia, in quibus actiue inadquatè continentur, eodem modo cognoscuntur: quod, ne partialiter quidem fieri posse aduersarij admittunt, debentque fati: ac proinde omnipotentiam non esse adequatam specificatum, seu medium, siue totam rationem cognoscendi possibilia creata contra suam conclusionem debent fati, ut de se est perspicuum: nec satis est in omnipotentia, in qua potentia vitales nostræ actiue continentur, esse continentiam mediatam, actus vitalis creati, etiam, prout à potentia vitalibus procedunt possunt procedere. Contra primum: quia saltem, sicut non continentur adequatè, & proximè in ratione entis, ita neque in ratione veri, & cognoscibilis. Cum autem ea continentia adequata actiua necessaria sit ad specificationem, & rationem cognitionis rerum contentarum, proxima adequata necessario erit expectanda ut in actum prodeat earum cognitio: nam non, nisi à potentia proxima adequata potest actus exerceri: nec totum specificatum & motuum cognitionis creaturarum suas partes potentia vitales necessario obibunt, nec totum specificatum & ratio cognoscendi possibilia omnipotentia, ut hi volunt, erit. Secundo in actibus liberis, cum assistente omnipotentia & posita per ipsam potentia, indifferens hæc maneat, non magis cognoscitur in eis determinatè consensus quam eius negatio: quod si dicas conclusionem esse de cognitione possibilitatis, qua virtualiter extremi est, & in omnipotentia cognoscitur: nil præstat.

7. Acius pugno: quia in respectu ad possibilitatem præcisè non est potentia creata vitalis ad omnipotentiam subordinatio, sed solum in essendo, & operando absolute. Neque enim ex eo, quod possibilia respectum essentialem dicant ad omnipotentiam, habent etiam, ut posita ad potentiam creatas referantur: sed ex eo, quod absque illis poni in rebus repugnet, quia principium essentialis earum actionum potentia creatæ sunt: quod non inde habent, quod omnipotentia alterum sit eandem principium: unde rursus arguatur quia actiua continentia, siue actiuitas omnipotentia non est in ordine ad possibilitatem rerum, sed in ordine ad earum executionem, & absolutam positionem: quare omnipotentia, qua actiua, seu ratione continentia actiua, ad rerum possibilitatis, quam actiue non efficit, cognitionem inferre non posse argumentum proximè nostrum euincit: & patet ex data solutione. Non enim possibilitatem ponit, sed supponit, ut earum absolutam existentiam ponere queat cognoscendam; ad possibilitatem vero earum cognoscendam, non, qua possibilitatem, seu continentiam eas actiuitate sua omnipotentia est: sed qua terminus essentialis respectu earum, inferre poterit. Is autem respectus æquè primo, imo indiuisibiliter in vnumque essentialis suum principium fertur, respicitque: nempe in omnipotentiam, & potentiam creatam, neque in alteram ratione alterius.

8. Tertiò eandem sententiam impugno. Scientia in Deo prior est quam omnipotentia: deo enim *Deus omnipotens*, quia omnis, non contra a communi sententia præcipue

nostri Herize, contra quem pugnamus, & reliquorum, qui cognitionem Dei eius essentiam afferunt, omnipotentiam vero eius attributum: ex aliis vero, qui in Deo potentiam intellectuum cognitione Dei anteriorem, & ante utramque conceptum entis à se, vel alium quempiam, in quo essentiam metaphysicam Dei constituunt, recognoscunt, plures qui omnipotentiam in Dei voluntate collocant, eiusque affectibus: atque vniuersim, cum in Deo potentia etiam ad extra operatiua rationabiliter, nec aliter operatiua sit: ea cognitionis prioritas respectu omnipotentia admitti debet: ergo, cum nondum metaphysice sit omnipotentia, quæ specificare ac mouere Dei cognitionem ad creaturas deberet, est cognitio infinita ex genere suo, & omniscientia: quare, & cognitio earum ab alio antecius præcedente specificata. Negat Herize (cuius maxime solutio refert) consequentiam: quia de ratione pure termini, ac non specificatiui, seu rationis formalis cognoscendi; non est, quod sui cognitionem præcedat: ut patet in possibilibus, quæ cognitionem diuinam non præcedunt, nec sunt eius specificatiua, sed pure terminatiua obiecta, ad quæ sola ipsorum positione extenditur aliunde præhabita diuina cognitio. Sed contra: ergo omnipotentia, antequam supponitur aliunde habita cognitio, & representatio de se creaturarum possibilitum, ut argumentum probat, ratio, & specificatiuum cognitionis creaturarum ex tunc hac solutione (qua specificatiuum & motuum cognitionis debere supponit præcedere) minime patet. Apparet negare consequentiam: quod scilicet, omnipotentia in alio genere, obiecti, scilicet, specificatiui, eadem essendi metaphysico, sit cognitione posterior, prior non sit: ut de verbo, & Spiritu S. quos est sui vel cognitione vel amore procedere afferunt: ac proinde eis in genere essendi posteriores sunt, ad quos tamen obiectum præcedunt, philosophantur. Verum contra de Trinitate d. 6. sic philosophantes confutauimus: & vniuersim mutuum causalem causarum, quæ ad causandum sui existentiam requirunt, diximus contra de causis & in fine controu. de incarnatione.

9. Denique quarto eandem doctrinam impugno ex cognitione diuina de rerum negotiationibus, quæ actiue in omnipotentia non continentur: imo rerum, quæ actiue in omnipotentia continentur remotiones sunt. Ergo negotiationem possibilitum cognitio diuina non habet pro specificatiua, & ratione motiua omnipotentiam actiuam earum in ipsa: & tamen aliunde habet rationem representationis formalis earum: ergo, & habebit aliunde, quam ab omnipotentia esse formalem representationem rerum possibilitum. Dices cognosci habitum per negationem iuxta vulgare axioma: atque illum actiue in omnipotentia contineri. Sed an inde probabitur contineri actiue in omnipotentia negationem proximam, vel remotam, quia habet, cuius remotio est, in illa actiue continetur hoc autem necessarium est, ut ratio tunc conclusionis persisteret. Secundum cum habitus seipso sit formalis suæ negationis remotio, implicat per illum, adhuc remotam, causari eius negationem, quam seipso excludit, ab omnipotentia: quare, ne remotam quidem, per illum, seu medio illo, actiue eius negationem in omnipotentia contineri: illud autem axioma solum vult maiorem vel minorem imperfectiorem entitatem negationis, non, nisi cognitio habitu, quem à rebus remouet, cognosci posse: nam tenebras non, nisi media luce cognosci viderique posse vel non posse non visa luce videri suo modo ridiculum est & repugnat: cum lux tenebrarum remotio sit: quare, ubi ea videtur, tenebræ videri non possunt. Respondebis cum recentioribus memoratis Arrubalis asseclis: continentiam actiuam habitus in omnipotentia, non esse causam necessariam, sed liberam, quæ est potestas indiuisiua, ad eum, & eius contradictorium apponendum: quare, & eius remotio, seu negatio actiue in omnipotentia continetur. Verum, si omnipotentiam in Dei voluntate formaliter hi recentiores constituerent, locum solutio haberet: constituta vero in alia formalitate, & prædicato diuino locum non habet. Et eum potestas libera ad vtrumvis præstandum voluntatis formaliter, quæ talis est, non autem adiunctarum, & quasi subiectarum ipsi, quoad vsum, & exercitium, facultatum: ut patet in nostris voluntatibus, quæ, ideo libera sunt ad effectus mediis facultatibus efficiendos, quia administris potentibus sibi subditis vti possunt, ac non vti; non quia po-

Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tomus I.

tentia alia de se se operari, & non operari pro suo libito queant: quatenus siquidem de se est, operari tantummodo valent, & si à libera nostra voluntate possint ab exercitio suspendi: quod quia, eisdem parentibus, negationem identitatis hominis & equi, & reliquarum chimerarum necessarias negationes Deus cognoscit: cum tamen earum habitus, v. g. identitatem hominis & equi nequeat Deus absolute, necdū libere, efficere: Ergo possibiles, imo necessarias has negationes absque vlla earum continentia in omnipotentia actiua, adhuc somniata, per habitum cognoscit Deus. Tercio omnes chimeras, quæ dubio procul in omnipotentia actiue non continentur, nec Deo (ut fert recentissimum aliquorum infomium) idemificatur, Deus cognoscit: ergo aliunde, quam à continentia extrinsecorum in omnipotentia, Dei habet cognitio, ut ad extrinseca obiecta porrigatur.

10. Concludamus igitur cum nostro Vasquez d. 40. & 60. citatis è sola essentia metaphysica Dei, tanquam primario obiecto specificatiuo adequato totam cognitionem diuinam in suo, atque è suo genere simpliciter infinitam, etiam per denegationem termini extrinseci, ac subinde omniscientiam formalem cognoscibilem omnium euadere, ut sola earum positione ipsi vel physice, vel metaphysice extrinseca egcat, ut ad ea extendatur: quare ad diuina attributa primum: deinde ad possibilita omnia, tam positiua, quam negatiua, & rationis etia, siue impossibilita: postmodum ad conditionata futura, ac demum ad absolute futura absque vlla sui variatione extendatur: ut optime obseruauit, citatis locis Vasquez noster: quo etiam respexit Dionysius 7. de diuinis nominibus. Neque enim, inquiens, ea, quæ sunt, ex his, quæ sunt, nouit diuina mens: sed ex se & in se & c. Et Lactantius, diuinar. instit. c. 3. in se ipso habere propriam scientiam non hominis sed Dei est: mortali autem natura non capis scientiam, nisi, quæ veniat extrinsecus. Duo huic conclusioni obici poterant primum: Dei cognitionem vt potest intuitiuam, non posse non ferri in rem, sicuti est: quare nec in suam essentiam præcise, sed ipsi omnibus identificatam & vniuersim, sicuti solum est. Sed cognitionem, intuitiuam etiam, posse ex parte obiecti præcise ostendimus sæpe contra de anima & de visione Dei, & de scientia anime christi: atque illud sicuti est in visione tantum significare non cognosci rem per illam abstractiue, per alienas species, & admodum alterius. Secundum est, obiectum, primum saltem, & specificatiuum, diuinæ cognitionis non posse ipsi identificari, ut diuina omnia ipsi identificantur: nihil enim sibi ipsi speciem tribuit, sed potius est, quod illam ab alio recepit: hoc argumentum contra Arrubalem, & reliquos, æque militat, qui Deum totum vt in re est, vel aliquod eius prædicatum primum, & specificatiuum docent: respondeo tamen verum esse antecedens de diuinis prædicatis ipsi cognitioni formaliter identificatis, quod nulum aliud præter ipsam habet: quare ipsi soli repugnat seipsam specificare, non autem essentia diuina, vt dicebamus cert. 2. num. 7. Vbi de eius etiam prioritate respectu diuinæ cognitionis quid verosimiliter dici possit statuimus.

Pro Arrubalis sententia, & sua obiciunt memorati recentiores inter obiectum primum specificatiuum, & obiectum materiale, & pure terminum cuiusvis cognitionis debere esse respectum aliquem transcendentalium, qui solum est in creaturis ad Deum, quæ omnipotentem, ac proinde, quæ talem, solummodo debere esse Deum obiectum primum & specificatiuum cognitionis suæ de creaturis. Antecedens de respectu in genere entis est falsum: & si verum esset debere esse in obiecto primario, & specificatiuo ad secundarium, ad quod ex illo mens duceretur, quasi filo connexionis illius ad ipso, ad secundarium: quem in omnipotentia ad creaturas recentiores ipsi merito non admittunt. Est igitur vetum antecedens de connexionem in genere scibilis, quæ inter Dei essentiam, & creaturas adest vt ex dictis patet. Denique, pro specificatione cognitionis cuiusque creaturæ ab ipsa, dices, alias confundendas esse in eandem omnium creaturarum cognitionem. Respondeo: id quidem, si quoad intrinsecum cognitionis diuinæ loquamur, non solum verum esse, sed necessarium: cum essentia sua infinita Dei scientia, & omniscientia sit, vt diximus: reliqua ex dictis euaneſcunt.